



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 21. Colloquium utriusque Regis, actum de Pace

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. A.C. 1468. ducias peteret. Præterea amplis validi auxilii pollicitationibus ad bellum excitabatur. Igitur hisce rationum momentis expugnatus, copias suas in Moraviam ducit, comitante eum Ferrariensi Episcopo Sedis Apostolicæ Legato, qui cunctos hæreticis opem laturos publica sententia diris devovit. Ibidem Podiebracius castra metabatur, cum exercitu, qui Matthiæ copias saltem numero æquabat. Eo tempore Hungariæ Rex nonnisi vigesimum septimum ætatis suæ annum attigerat; Podiebracius vero jamjam sexagesimum expleverat, proin eum longa vita, ac diuturnus armorum usus in plurimis rebus mire erudiebat.

## §. XXI.

*Colloquium utriusque Regis; actum de pace.*

*Bonfin. ibid.* *Papiens. ead. epist.* Jamjam in conspectu utraque acies erat, ambo tamen exercitus proelii discrimen declinare videbantur, motisque utrinque castris in diversas abiere partes. Matthias tamen iterum, iterumque in hostis sui ditiones populabundus excurrit, ac nonnullas urbes qua vi, qua ditione occupavit; tandem vero utriusque copiis denuo ad eundem locum concurrentibus Brunæ, quæ est Moraviæ caput, ambo Reges colloquium inierunt, ubi



ubi Podiebracius exiguam Matthiæ fidelitatem, ac violatum foedus incusans eidem dixit, promptissimum dirimendæ litis medium esse, si cum eo in remoto quodam loco ad singulare certamen descenderet; hac enim via subditorum sanguini utrinque parceretur. Ad hæc Matthias respondit: bellum nonnisi pro tuenda fide suscepi, proin certamen in angulis inire nequaquam mihi animus est; Principem enim decet armatum in aperto campo decertare; hinc si Podiebracius Princeps est, præsentem ac inspectante toto exercitu equestri certamine congregiatur, litemque finiat. Ast cum Podiebracius hanc conditionem minime acceptaret, ambo de concordie pactis ac pace ineunda colloquium habuerunt, demum vero in mediis castris simul prandium sumpserunt, quo finito ad sua redierunt; eoquod litem amice componere haud possent; quocirca Matthias appropinquante hyeme exercitum suum in Moravia reliquit, ipse autem in Hungariam reversus est. Hac de re exstat epistola Cardinalis Papiensis scripta ad summum Pontificem, & Sedis Apostolicæ Legatum, qui apud Matthiam agebat. Nihilominus inter hos Reges pax omnino sancita videtur, quamvis illa haud diuturna esset, eoquod anno sequenti bellum redintegratum legamus.

S 2 §. XXII.

Sæcul. XV.  
A.C 1468.